

CONSTITUTIO  
DOGMATICA PRIMA

DE

ECCLESIA CHRISTI

IN CONCILIO VATICANO

DIE XVIII JULII MDCCCLXX

CONSTITUTIO  
DOGMATICA PRIMA  
DE ECCLESIA CHRISTI

IN CONCILIO VATICANO

DIE XVIII JULII MDCCCLXX

PIUS EPISCOPUS

*Servus servorum Dei*

SACRO APPROBANTE CONCILIO

Ad perpetuam rei memoriam

Pastor aeternus et Episcopus animarum nostrarum, ut saluiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed et pro eis qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt (1). Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre : ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes creden-

(1) Cfr Joan., xvii, 1, 20 et seq.

tium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum cæteris Apostolis præponens, in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cujus fortitudinem æternum extrueretur templum, et Ecclesiæ cælo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurgeret (1). Et quoniam portæ inferi ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam contra ejus fundamentum divinitus positum majori in dies odio undique insurgunt; Nos ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, necessarium esse judicamus, sacro approbante Concilio, doctrinam de institutione, perpetuitate, ac natura sacri Apostolici primatus, in quo totius Ecclesiæ vis ac soliditas consistit, cunctis fidelibus credendam et tenendam, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiæ fidem, proponere, atque contrarios, dominico gregi adeo perniciosos errores proscribere et condemnare.

### CAPUT I.

#### DE APOSTOLICI PRIMATUS IN BEATO PETRO INSTITUTIONE.

Docemus itaque et declaramus, juxta Evangelii testimonia, primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum enim Simonem, cui jam pridem dixerat: Tu vocaberis Cephias (2), postquam ille suam edidit confessionem inquit: Tu es Christus, Filius Dei vivi, solemnibus his verbis allocutus est Dominus: Beatus es, Simon Bar-Jona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc pe-

(1) S. Leo M., serm. IV (al. III), cap. II, in diem Natalis sui.

(2) Joan., I, 42.

tram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni cælorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis (1). Atque uni Simoni Petro contulit Jesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris jurisdictionem in totum suum ovile, dicens: Pasce agnos meos: pasce oves meas (2). Huic tam manifestæ sacrarum Scripturarum doctrinæ, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravæ eorum sententiæ qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes negant, solum Petrum præ cæteris Apostolis, sive seorsum singulis sive omnibus simul, vero proprioque jurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant eundem primatum non immediate, directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiæ, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiæ ministro delatum fuisse.

Si quis igitur dixerit beatum Petrum Apostolum a Christo Domino constitutum non esse Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiæ militantis visibile caput; vel eundem honoris tantum, non autem veræ propriæque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse; anathema sit.

### CAPUT II.

#### DE PERPETUITATE PRIMATUS BEATI PETRI IN ROMANIS PONTIFICIBUS.

Quod autem in beato Apostolo Petro, princeps pastorum et pastor magnus ovium, Dominus Christus Jesus in

(1) Math., XVI, 18-19.

(2) Joan., XXI, 15-17.

perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiæ instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quæ fundata super petram ad finem sæculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est. Nulli sane dubium, imo sæculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiæ catholicæ fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit: qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, episcopis sanctæ Romanæ Sedis, ab ipso fundatæ, ejusque consecratæ sanguine, vivit et præsidet et judicium exercet (1). Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit (2). Hac de causa ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, ut in ea Sede, e qua venerandæ communionis jura in omnes dimanant, tamquam membra in capite sociata, in unam corporis compagem coalescerent (3).

Si quis ergo dixerit non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu jure divino ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores, aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit.

(1) Cfr Ephesini Concilii Act. III.

(2) S. Leo M., serm. III (al. II), cap. III.

(3) S. Iren., *Adv. hæres.*, l. III, c. III, et Conc. Aquilei., an. 381, inter epp. S. Ambros., ep. XI.

## CAPUT III.

## DE VI ET RATIONE PRIMATUS ROMANI PONTIFICIS.

Quapropter apertis innixi sacrarum litterarum testimoniis, et inhærentes tum prædecessorum nostrorum, Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis perspicuisque decretis, innovamus œcumenici Concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.

Docemus proinde et declaramus Ecclesiam Romanam disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quæ vere episcopalis est, immediatam esse: erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicæ subordinationis, veræque obedientiæ, obstringuntur, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Hæc est catholicæ veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest.

Tantum autem abest ut hæc Summi Pontificis potestas

officiat ordinariæ ac immediatæ illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tanquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni: Meus honor est honor universalis Ecclesiæ. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur (1).

Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam jus eidem esse consequitur, in hujus sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiæ, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem reddunt sæculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quæ ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiæ constituuntur, vim ac valorem non habere nisi potestatis sæcularis placito confirmentur.

Et quoniam divino Apostolici primatus jure Romanus Pontifex universæ Ecclesiæ præest, docemus etiam et declaramus, eum esse judicem supremum fidelium (2), et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri (3); Sedis vero Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare (4). Quare a recto veritatis tramite aberrant qui

(1) Ep. ad Eulog. Alexandrin., l. VIII. ep. XXX.

(2) Pii PP. VI Breve *Super soliditate*, d. 28 Nov. 1786.

(3) Concil. Œcum. Lugdun. II.

(4) Ep. Nicolai I. ad Michaellem Imperatorem.

affirmant licere ab judiciis Romanorum Pontificum ad œcumenicum Concilium tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.

Si quis itaque dixerit Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremæ potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam, sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.

#### CAPUT IV.

##### DE ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILI MAGISTERIO.

Ipsa autem Apostolico primatu, quem Romanus Pontifex tanquam Petri principis Apostolorum successor in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendit, hæc Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiæ usus comprobatur, ipsaque œcumenica Concilia, ea imprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque unionem conveniebat, declaraverunt. Patres enim Concilii Constantinopolitani quarti, majorum vestigiis inhærentes, hanc solemnem ediderunt professionem: Prima salus est rectæ fidei regulam custodire. Et, quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; hæc, quæ dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo fide et doctrina separari minime cupientes, speramus ut in una communione, quam

Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Christianæ religionis soliditas (1). Approbante vero Lugdunensi concilio secundo, Græci professi sunt : Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent iudicio definiri. Florentinum denique Concilium definivit : Pontificem Romanum, verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Huic pastorali muneri ut satisfacerent, Prædecessores Nostri indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terræ populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis Antistites nunc singuli, nunc in Synodis congregati, longam Ecclesiarum consuetudinem et antiquæ regulæ formam sequentes, ea præsertim pericula quæ in negotiis fidei emergebant, ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum (2). Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis œcumenicis Conciliis aut explorata Ecclesiæ per orbem dispersæ sententia, nunc per synodos particulares, nunc aliis, quæ di-

• (1) Ex formula S. Hormisdæ Papæ, prout ad Hadriano II Patribus Concilii Œcumenici Constantinopolitani IV, proposita et ab iisdem subscripta est.

(2) Cfr S. Bern. Epist. CXC.

vina suppeditabat Providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt quæ sacris Scripturis et apostolicis Traditionibus consentanea Deo adiutore cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Quorum quidem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt, plenissime scientes hanc sancti Petri Sedem ad omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam : Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.


Hoc igitur veritatis et fidei nunquam deficientis charisma Petro ejusque in hac cathedra successoribus divinitus collatum est ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus, cœlestis doctrinæ pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa firma adversus inferi portas consisteret.

At vero cum hac ipsa ætate qua salutifera Apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur, non pauci inveniuntur qui illius auctoritati obtrectant; necessarium omnino esse censemus prærogativam quam unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio conjungere dignatus est solemniter asserere.

Itaque Nos traditioni a fidei Christianæ exordio perceptæ fideliter inhærendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis catholicæ exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitui revelatum dogma esse definimus : Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium

Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ, irreformabiles esse.

Si quis autem huic Nostræ definitioni contradicere, quod Deus avertat, præsumperit; anathema sit.



## VARIA

## DISSERTATIONUM

## ARGUMENTA

## IN TRACTATUM DE ECCLESIA CHRISTI

I. — Duplex Traditionis auctoritas in Theologiâ : — auctoritas *naturalis*, quæ jam per argumenta discussionis vel præscriptionis aliquando constare potest; — auctoritas *supernaturalis*, quæ in promissionibus Christi fundata mox ostendetur. — Utraque Patribus nota, ac speciatim Tertulliano. — Quisnam pro nobis utriusque locus et usus? (V. n. 6 cum *notâ*, p. 10; cfr n. 15 cum *notâ* 2, p. 21; — V. n. 23 III, p. 61, 63; cfr : *Præfat.* p. III, *not.*).

II. — Demonstratio catholica eximatur ab omni circulo vitioso et causa Catholicismi omninò separetur à causâ *fideismi*. — Quonam sensu verè dici possit decidendum esse è Protestantismo in Rationalismum, sicut è Rationalismo in Atheismum vel Scepticismum? (V. n. 7, p. 11, *not.* 2; item, p. 35 *not.* 2, cum locis *Tr. de Verâ Relig.* indicatis; cfr et *Præfat.*, p. x, *not.*).

III. — Quæ sit legitima explicatio hujus effati S. Augustini : « Ego verò Evangelio non crederem nisi me Ecclesiæ commoveret auctoritas? » (V. n. 15, p. 21, *not.* 2).

IV. — Pour me faire admettre tels ou tels points de doctrine d'après la parole de l'Eglise, un Lamennaisien m'allègue son principe de *l'autorité générale*; — un sa-

vant critique m'apporte les arguments de *Prescription* et de *Discussion*; — un Catholique enfin s'appuie sur les promesses d'*assistance divine* faites à l'Eglise : — faire ressortir et apprécier la différence de leurs procédés (V. locos huc usque indic., et cfr etiam p. 277).

V. — Luther a-t-il entendu servir la cause de la raison humaine? — L'a-t-il servie du moins sans en avoir l'intention? (V. p. 39 *not.* 2, cum *Appendice I<sup>a</sup>* § II, p. 350. — V. dein n. 90, p. 331, 2<sup>o</sup>).

VI. — Ostendatur Catholicismum et Protestantismum ultimato resolvi in duos conceptus omnino diversos tum primum Ecclesiae, tum demum ipsius Christianismi ac omnis religionis (V. p. 15, n. 10; cfr p. 12 *not.*, itemque p. 286, 297 etc. — V. dein p. 43 et ss.; cfr p. 295 *not.*, nec non *Præfat.* p. XVI).

VII. — Evolvantur quæ de Ecclesiae auctoritate in *Veteri Testamento* præfigurata et prænuntiata indicantur p. 49, 50 (Cfr et *Appendicem II<sup>am</sup>* : *De infallibilitate Synagogæ*).

VIII. — Utrum admitti possit Ecclesiam ex ipsa institutione Christi esse 1<sup>o</sup> *societatem*, antequam probatum sit *auctoritatem* in eâ à Christo institutam esse; — itemque 2<sup>o</sup> *societatem indissolubilem*, antequam probata sit hujus auctoritatis *infallibilitas*? (V. n. 29, p. 76; cfr p. 309 *not.* 1, nec non dicta in *Præfat.* p. XVIII).

IX. — Exposé des divers systèmes sur la constitution de l'Eglise : système catholique; systèmes de tout temps hérétiques; systèmes intermédiaires. (V. n. 32, p. 80 et ss.; ac speciatim p. 90, *not.* 2, cui cfr p. 176 *not.* 3).

X. — Ostendatur auctoritatem naturalem et auctoritatem supernaturalem essentialiter differre. — Inde quam inverisimile sit *à priori*, imò et impossibile in Ecclesia systema *Multitudinismi* etiam mitigatoris seu *Gallica-*

*nismi democratici*. — Cur hodie speciatim ab eo cavendum? (V. n. 30, p. 78 et ss.; n. 34 p. 95 et ss.; cfr p. 87 et 368).

XI. — Origine, phases diverses et condamnation définitive du *Gallicanisme ecclésiastique*. — Quel sens ce mot peut-il encore avoir? (V. p. 89 et *Appendicem IV*; n. 47, p. 181; cfr p. 174 *not.*)

XII. — De ratione divinae institutionis Papatûs, et de providentiali hujus evolutione à tempore S. Irenæi ad S. Hormisdam, à S. Hormisdâ ad Concilium Florentinum, à Concilio Florentino ad Concilium Vaticanum (V. speciatim p. 102, 118, 123, 128, 131 *not.* 6, 136, 138; cfr et 148 *not.* 1).

XIII. — De applicationibus secundariis verborum «... et super hanc petram...», apud Patres, (V. p. 108, *not.* 2).

XIV. — De S. Irenæi testimoniis circa duplicem Traditionis ecclesiasticæ fontem, apud Ecclesiam videlicet universalem, et speciatim apud Ecclesiam Romanam. — Posterioris hujus textûs genuinus vindicetur sensus (V. p. 62 et p. 118 cum *notâ* p. 119. Cfr DD. Freppel : *S. Irénée*, leç. XIX et XX).

XV. — Analyse raisonnée du *Traité* de S. Cyprien : *De unitate Ecclesiae*. (V. p. 119, 120 cum *notâ* 1; n. 57, p. 216 *not.* — Cfr DD. Freppel : *S. Cyprien*, leç. XII).

XVI. — De *Formulâ* S. Hormisdæ. — Quid formaliter definiat? — Quid supponat? — Quænam sit ejus auctoritas? (V. p. 123, cum auctoribus illic indicatis in *notâ* 3; item p. 153).

XVII. — Ostendatur Concilium Vaticanum, dum Infallibilitatem Papalam definivit, explicitè tantummodo dogma consecrasse jam in dogmate Primatiæ Papalis logicè inclusum. (V. nn. 40, 41 ac speciatim *not.* 1 p. 148; cfr quoque p. 158).



XVIII. — Histoire du développement de l'Épiscopat, et origine des degrés inférieurs de Juridiction et d'Ordre (V. nn. 48-51).

XIX. — Quænam, positâ Infallibilitate Papæ, esse possit adhuc Conciliorum generalium ratio et utilitas? (V. p. 155 et 206).

XX. — Utrùm jurisdictio possit ullo sensu dici in Ordinatione collata? (V. p. 15 *not.*, ac præsertim p. 219, 220 cum *notis*, itemque p. 298, 321, 388 *Append. X*; cfr quoque p. 204, 209 in *notis*).

XXI. — Quomodo olim data sit Episcopo unicuique *institutio*, et quâ ratione mos ille, saltem in Occidente, immutatus sit? (V. p. 222-224),

XXII. — Dans une réunion de gens du monde, l'un reproche à l'Église son *immobilité*: — un autre, au contraire, l'accuse d'*innovations* dans sa doctrine; — aussi ne veut-il admettre que ce qui a été *formellement révélé* et toujours cru de *foi explicite*: — un troisième veut bien admettre, sans plus de recherches, tout ce qui est *défini* par l'Église, mais *défini formellement* et sous peine d'*hérésie* et d'*anathème*: — encore, au dire d'un quatrième, faudrait-il, sur chaque question définie, examiner si elle est bien réellement *du for de l'Église*, et si par conséquent l'Église y conserve vraiment son infailibilité. — Un ecclésiastique, présent à la conversation, y prend modestement la parole et rectifie toutes ces manières de voir. (V. nn. 60-65, *passim*).

XXIII. — Proponatur schema quoddam conciliare quatuor brevibus Capitibus totidemque Canonibus conclusum (1), ad declarandam doctrinam verè revelatam et omnibus Christifidelibus tenendam:

(1) N. In *Capitibus* rationes quæque probabiles breviter innui pos-

1° contra eos qui auctoritatem Ecclesiæ supremam, sive quoad doctrinam sive quoad disciplinam, in Multitudine Fidelium reponunt;

2° contra eos qui eandem reponunt in Principibus sæcularibus,

aut 3° ejus exercitium à Principum arbitrio omninò pendere faciunt per falsam, quam afferunt, rerum spiritualium temporaliumve definitionem,

aut demum 4° Principes quatenus politicè agentes à supradictâ auctoritate eximunt, potestatem juris naturalis ac divini declarativam Ecclesiæ in illos abjudicantes (V. nn. 34, 33, 67, 70, speciatim p. 257, 264 cum *notâ* 1).

XXIV. — Qu'est-ce que le *libéralisme* en général? — Discussion de la *thèse* libérale appliquée à la religion (V. *Append. XII*, speciatim p. 403 et ss.).

XXV. — Ostendatur Spiritum Sanctum assistere cuique è tribus partibus quibus Ecclesia componitur, Papæ videlicet, Episcopis et Fidelibus, ita ut suo quæque modo et ordine in verâ Christi doctrinâ indefectibilis maneat. (V. n. 75, p. 276; cfr, suprâ, n. 39 et ss., n. 52, 53, n. 74).

XXVI. — Montrer qu'il n'y a eu défaillance de la foi ni dans la chaire de S. Pierre par le fait d'Honorius, ni dans le corps épiscopal par le fait des Evêques à Rimini, ni par là-même dans le corps des fidèles au temps de l'Arianisme (V. p. 168, 201 *not.*, ubi cfr Blanc leç. LII, et S. Hilarium: *Lib. contra Auxentium* n. 6).

---

sunt; in *Canonibus* autem nihil proponatur anathemate sancendum nisi quod jam vel hæreticum ab omnibus habeatur sive ex aliqua anteactâ definitione sive ex universali fide ac prædicatione Ecclesiæ, — vel ita sit cum hæretico aliquo dogmate connexum ut possit ab hoc absque ullâ extraneâ elementi interpositione clarè deduci, proindeque jam nunc saltem erroneum vel hæresi proximum logicè dici (Cfr suprâ p. 230, 242).

XXVII. — Quid intelligatur per *animam Ecclesiae*, et quantoperè cavendum sit ab errore in quem quidam inde ducerentur circa Ecclesiae *visibilitatem*? (V. p. 285 *not.* 2, 290 *not.* 3; et cfr totum n<sup>um</sup> 82).

XXVIII. — Detur genuina notio systematis Juris. — Quid intelligat per suos *articulos fundamentales*? — An permittat *indifferentismum*? — Quam sibi fingat *Ecclesiae* ideam? (V. n. 84 p. 293 et ss.).

XXIX. — Quid respondendum sit ad aliquem *Puseys-tam*, qui infallibile admittit Corpus episcopale quoddam ex omnibus constans qui *successionem apostolicam* habent, et hanc contendit inveniri successionem apud Romanos, Græcos et Anglicanos? (V. n. 85, p. 298 et ss.; cfr p. 316, 317, etiamque p. 321 *not.* 1).

XXX. — De S. Petri adventu et morte apud Romam. — Quid inde sequatur? (V. p. 318, 319 cum *notâ* 1; nec non *Appendicem XV*).

XXXI. — D'après quels principes faut-il examiner ce qu'on appelle l'infériorité temporelle des nations Catholiques? (V. n. 77, p. 280, et n. 90 p. 330 et ss.).

XXXII. — Ostendatur totum de Ecclesiâ Tractatum concludi in his duabus præmissis è SS. Irenæo Ambrosioque desumptis: « Ubi Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; » — « Ubi Petrus, ibi Ecclesia; » — cum conclusione quam ex iis ritè fluentem Concilium Vaticanum definitione suâ tandem sancivit. (V. *Præfat.* p. 1).

XXXIII. — Resumantur *rationes theologicæ* totius Institutii Catholici; nempè :

Cur 1° Deus veritates à Christo revelatas non tantùm semel prædicari aut etiam scribi voluit et humanis dehinc permitti fati, sed curat illas doceri sine intermissione in terris (V. nn. 16-19, p. 22 et ss.)?

Et quidem 2° apud societatem hominum relativè maximam et maximè diffusam? (p. 271, 277, 343).

Cur 3°, præter auctoritatem quam naturaliter habere posset testimonium tantæ multitudinis, ipsi adjecit promissionem infallibilitatis absolutæ et absque conditione? (n. 15, p. 24; cfr p. 277, itemque p. 344).

Cur 4° infallibilitatem istam non in ipsâ tantùm multitudine posuit, sed speciatim in certo quodam Pastorum Corpore? (n. 34, p. 96 speciatim).

Cur etiam 5° non in illo Pastorum Corpore tantùm, sed peculiariter in uno homine quem veluti Centrum et Caput toti præfecit Ecclesiae? (n. 35, p. 102).

XXXIV. — Changement de position du Protestantisme, depuis l'époque de Bossuet, et, par suite, changement nécessaire dans la controverse. — Montrer que les Protestants n'attachent plus le même sens que les Catholiques aux termes *d'Eglise, d'unité, d'apostolicité*; qu'ils esquivent les notes de *catholicité* et de *sainteté*; et qu'en définitive toute la controverse se trouve reportée sur la question de *l'autorité* et même sur la notion de la *religion*. — Conséquences pratiques qui en résultent: inefficacité des disputes, et nécessité de la préparation morale des esprits. (V. *Præfat.* p. xvii et ss.; cfr. p. 12, 41 et ss., 291 et ss., 308, 310, 314 et ss.).

XXXV. — Mettre en scène un catéchiste protestant et un catéchiste catholique vis-à-vis d'un homme simple, modeste et fidèle à son bon sens (V. *Epilogum de fide Simplicium*, speciatim p. 344, 345).